

www.e-rara.ch

**Roberti Bellarmini Politiani S. R. E. Cardinalis Solida Christianæ Fidei
Demonstratio**

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo

Antverpiæ, M. DC. XI.

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-149054>

Caput VIII. De numero, & ordine sacramentorum.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Prob. Antec. nam qui baptizatur ab infidelibus, & communicat cum eis in infidelitate, dicitur verè, & propriè baptizatus, si seruatus sit debitus ritus, & forma verborum cum intentione. At, qui absoluitur sine fide, non verè est absolutus; &, qui sumit Eucharistiam sine fide, non verè communicat corpori Domini secundum Caluinum: & secundum Catholicos sumit quidem ore verum corpus Domini, sed nihil recipit in anima, nisi peccatum. Manet igitur ex Baptismo effectus aliquis Sacramentalis, qui non est gratia, cum gratia sine fide non detur, nec est ipsa actio exterior, quia illa reperitur etiam in Eucharistia. Est igitur aliquid aliud permanens in anima; & hoc vocamus Characterem.

Tertia ratio: Baptismus non potest repeti, si fuerit semel ritè collatus, vt etiam Confirmatio, & Ordo: cetera possunt repeti. Sed vera causa non potest assignari huius discriminis, nisi character: igitur necesse est fateri imprimi per Sacramenta quædam characterem. Minor prob.: nam in primis, si ponatur character, perspicua erit ratio discriminis: ideo enim quædam Sacramenta non possunt repeti, quia semel data semper manent in suo effectu; alia repetuntur, quia non manent, nec in se, nec in suo effectu; nam gratia, quæ solus est effectus aliorum Sacramentorum, facillè potest amitti, & sæpe amittitur. Præterea; Etiam si aliquando non amittatur, tamen augeri potest, & sic Sacramentum potest repeti, vt gratia augeatur: at character nõ potest augeri per iterationem Sacramenti eiusdem. Adde, quòd gratia non est Sacramentum sed effectus Sacramenti tantum: character autem Sacramentum est, & Sacramenti effectus.

CAPVT VIII.

De numero, & ordine Sacramentorum.

VNA est, ac semper fuit Catholicorù sententia, septem esse propriè dicta Sacramenta. Ac primum de Baptismo nulla quæstio est. Est enim ritus eius expressus ibi: *Lauacrum aque in verbo vite*. Et institutio, ac mandatum ibi: *Nisi quis renatus*: Et: *Baptizantes eos*, &c. Et promissio gratiæ ibi: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*. Et: *Saluos nos fecit per lauacrum*. Idem docent omnes Patres.

De Eucharistia etiam nulla est quæstio; habetur enim ritus ibi: *Accepit panem, & gratias agens fregit*, &c. Et institutio, ac mandatum ibidem: *Hoc facite*. Et: *Nisi manducaueritis*, &c. Et promissio gratiæ: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*. Idem etiam docent Patres.

De Confirmatione habemus ritum externum manuum impositione in Actibus. Habemus effectum gratiæ ibidem. Nam per manus Apostolorum dabatur Spiritus sanctus, eadem phrasi, qua dictum est de Baptismo: *Per lauacrum regenerationis saluos nos fecit*. Institutio, & mandatum non habetur expressè in Scriptura; tamen colligitur euidenter ex locis citatis. Nunquam enim Apostoli ita confidenter, & ordinariè imposuissent manus ad gratiã Spiritus san-

3. Ratio.

De Baptismo.

Ephes. 5.

Ioan. 3.

Matth. ult.

Mar. ult.

Tit. 3.

De Eucharistia.

Matth. 26.

1. Cor. 11.

Ioan. 6.

Ibid.

De Confirmatione.

Act. 8. & 19.

Tit. 3.

cti communicandam, nisi Dominus id præcepisset. Non enim ignorabant nõ posse vllum hominem instituere cæremoniã, ad quam sequeretur gratia Spiritus sancti. Proinde oportet vel Apostolos fuisse temerarios, quod nemo diceret; vel habuisse Christi mandatum. Fuisse autem cæremoniã illam ordinariã, & necessariã, & non satis fuisse orare Deum pro aduentu Spiritus sancti, ex eo colligitur, quod Apostoli primarij, Petrus, & Ioannes tantum laboris, & itineris susceperunt, vt irent ex Hierosolyma Samariam ad imponendas manus ijs, quos Philippus Diaconus baptizauerat. Nam orare poterant pro illis manentes Hierosolymæ. Est autem notandum impositionem manuum coniunctã fuisse cum vnctione, & signo crucis: simul enim hæc fiunt, dum crucis signum Chrismate pingitur in fronte confirmandorũ, idque ministerio manus Episcopalis.

Añ. 8.

De Pœnitentia.
Ioan. 20.

De Pœnitentia ibi: *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Vbi primò habemus ritum, nimirum externum; & iudicialẽ abolutionem, quæ est signum interioris, quæ fit à Deo per verbum externum, tamquam instrumentum. Secundò habemus promissionem gratiæ: *Remittuntur eis.* Tertiò habemus mandatum: ibidem: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Vnde Apostolus: *Deus, inquit, dedit nobis ministerium reconciliationis.*

2. Cor. 5.

De extrema vnctione.
Iac. 5.

Et infra: *Pro Christo legatione fungimur.*

De extrema Vnctione habemus ritum: *Orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini.* Item promissionẽ: *Et alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit dimittentur eis.* Denique mandatum colligitur euidenter ex eo, quod Apostolus non auderet ita absolutè promittere tantum effectum, nisi à Domino id accepisset.

De Sacram.

Orãnis.

1. Timoth. 4.

2. Tim. 1.

Ephes. 4.

De Sacramento Ordinis habemus ritum externum, manus impositionem. Item promissionem gratiæ ibidem: *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij.* Et alibi: *Admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Denique institutio, & mandatum ibi: *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios Euangelistas, alios Pastores & Doctores, &c.* Et præterea. Vnde sciebat Apostolus datam esse Timotheo gratiam per impositionem manuum, si à Deo non didicerat eo signo conferri gratiam?

De Matri-

monio.

Ephes. 5.

Matth. 19.

2. Cor. 11.

De Matrimonio habemus nomen ipsum Sacramenti: *Sacramentum hoc magnum est.* Item ritum externum, id est, contractum visibilem inter virum, & fœminam: de hoc enim Apostolus dicit, quod sit magnum Sacramentum, vt exponunt Chrysoft. & Hieronymus. Habemus etiam institutionem diuinã: *Quod Deus coniunxit homo non separet.* Denique; Gratiam annexam colligimus ex hoc ipso loco Pauli. Nam coniunctio viri, & fœminæ significat coniunctionẽ Christi cum Ecclesia. Illa autem coniunctio duplex est: Vna per naturæ cõformitatẽ, quæ facta est in incarnatione; & hæc Christum cõiungit non solum cum Ecclesia, sed etiam cum toto genere humano. Altera est per gratiam, & charitatem; & hæc est cum sola Ecclesia: & ratione huius dicitur Christus sponsus, & Ecclesia sponsa iuxta illud: *Respondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* Igitur matrimonium viri, & fœminæ, vt possit significare ytramque vnionem Christi cum Ecclesia, oportet, vt non solum sit inter coniuges

iuges.

iuges vnio quædam naturalis, & carnalis, qualis etiam inter Gentiles reperitur; sed etiam vnio spiritualis ex gratia proueniens, & charitate. Proinde Sacramentum hoc gratiam istam confert, vt significatio sit perfecta. Quare *Ephes. 5.* Paulus sæpe monet viros, vt diligant vxores, sicut Christus Ecclesiam: & fœminas monet, vt viris subiectæ sint, sicut Ecclesia subiecta est Christo. Et rationem reddit, quia hæc eorum coniunctio Sacramentum est Christi, & Ecclesiæ.

Nunc demonstrandum, non esse plura Sacramenta, quàm septem prædicta. Et in primis; Aqua benedicta, signum crucis, panis benedictus, exorcismi, & alia cæremoniæ Baptismum præcedentes non inueniuntur in Scripturis; proinde non possunt aduersarij ea pro Sacramentis habere. Deinde; Illa omnia dantur etiam ante Baptismum: at Baptismus omnium consensu est omnium Sacramentorum primum, & quasi ianua. Denique; Nihil eorum habet promissionem gratiæ gratum facientis: neque constet, an à Christo instituta sint, an ab Apostolis, cum tamen vera Sacramenta à solo Christo institui potuerint.

De lotionem pedum videtur maior difficultas. Nam habemus ritum externum, ipsam pedum lotionem; item promissionem gratiæ: *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* Item mandatum Dei: *Exemplum dedi vobis. Et vos debetis alter alterius lauare pedes.* Item esse mysterium, indicant illa verba: *Quod ego facio, tu nescis modò, scies autem postea.* Respondeo tamen lotionem illam pedum nihil habuisse commune cum Sacramentis propriè dictis, & solù posse dici Sacramentum largo modo; quemadmodum Sacramenta dicuntur omnia, quæ mysticum sensum habent, & figuræ sunt, ac typi aliarum rerù. Nam fuit reuerà lotio illa signum Christi humilitatis, & charitatis. Item signù puritatis, qua debent homines ad Eucharistiam accedere: idè enim immediatè ante Eucharistiæ institutionem Christus hoc fecit. Denique fuit etiam signum, & figura quædam purgationis, quam eramus habituri per Christi passionem.

Non fuisse autem Sacramentum propriè dictum, patet primò, quia non habemus promissionem gratiæ iustificantis: illud enim; *Si non lauero te, non habebis partem mecum,* ad litteram non promittit gratiam; sed minatur pœnam ob inobedientiam, vt exponunt Patres. Si enim Petrus obstinatè recusasset illam lotionem, periisset in æternum: non, quia ei deerat lotio pedum, sed quia peccauerat contra Christum, & deerat illi obedientia. Mysticè tamen significare potest, vt exponit D. Augustin. etiam iustos indigere, vt Christus eos quotidie lauet à peccatis venialibus, quæ sunt veluti sordes, quæ pedibus adhærent ob humanam conuersationem. Sed hoc non sufficit ad Sacramentum efficiendum, quia hic agitur de lotionem peccatorum venialium, quæ non eget noua gratia gratum faciente. Vnde Dominus ait: *Qui lotus est, non eget, nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus.* Id est, mundus est simpliciter, & absolute, cum sit iustus: tamen adhuc eget lotionem à peccatis venialibus. Et præterea; Non habemus ex hoc loco ipsam lotionem pedum reipsa tollere peccata venialia, alioqui deberemus quotidie lauare pedes: sed solùm lotionem illam vnã, quam Dominus pedes lauit discipulorum, fuisse figuram internæ lotionis, quam ac-

cepimus à Christo . Non igitur ipsa pedum lotio est sacramentum propriè dictum.

Secundò; Non habemus mandatum, seu institutionem huius ritus frequentandi, quod requiritur in omni Sacramento: alioqui peccarent ferè omnes homines, qui non vtuntur ista caremonia. Et licet fuerit hæc caremonia olim vsitata in quibusdam Ecclesijs statim post Baptismum, tamen non fuit vnquam ab omnibus recepta, nec ab ipsa Romana Ecclesia, vt testatur Ambrosius. Neque obstat illud mandatum, *Exemplum dedi vobis. Itera: Et vos debetis alter alterius lauare pedes.* Et: *Quod ego facio, tu nescis modò, scies autem postea.* Nam hoc mandatum præcipit humilitatem, & charitatem, vt exponit Chrysofostomus, & Cyrillus; non autem ipsam materialem lotionem pedum, vt patet ex praxi Ecclesiæ: nunquam enim Christiani putauerunt se habere specialem mandatum de lotionem pedum.

*Prob. 7.
Sacramenta
ratione.
1. Ratio.*

Poffet etiam ex Concilijs, & Doctoribus probari septem esse Sacramenta, sed venio ad congruentias.

Prima est à similitudine vitæ spiritualis, & corporalis. Siquidem in vita corporali quædam requiruntur ex parte hominum singulorum, quædam ex parte totius Reipublicæ. Ex parte hominum singulorum requiruntur tria per se, generatio, augmentatio, & nutritio: & duo per accidens; remedium contra morbos, si contingat hominem ægrotare; & remedium contra reliquias morbi, vt perfectè conualefcant. Ex parte Reip. requiruntur duo: Primò parentes, qui propagent vitam corporalem hominum. Secundò Principes, & Magistratus, qui eam ordinent, & regant. Eodem igitur modo in vita spiritali primò requiritur regeneratio, quæ est per Baptismum. Secundò, augmentatio, per Confirmationem. Tertio, nutritio, per Eucharistiam. Quarto, remedium contra morbos, si contingat regeneratum peccare, per Pœnitentiam. Quintò, remedium contra reliquias peccatorum per Vnctionem extremam. Sextò, ex parte Reip. Matrimonium, quo propagentur homines ad cultum Dei deputandi. Septimò, Ordo sacer, quo regantur, & gubernentur.

2. Ratio.

Secunda ratio ex numero peccatorum, & vulnerum. Nam Baptismus est præcipuè contra originale; Pœnitentia contra actuale mortale; Vnctio extrema contra reliquias peccatorum; Confirmatio contra infirmitatem; Eucharistia contra malitiam; Matrimonium contra concupiscentiam; Ordo contra ignorantiam.

3. Ratio.

Tertia ratio ex numero virtutum. Nam Baptismus respondet fidei; Confirmatio spei; Eucharistia charitati; Pœnitentia iustitiæ; Vnctio extrema fortitudini; Ordo prudentiæ; & Matrimonium temperantiæ.

4. Ratio.

Quarta ratio ex celebritate numeri septenarij in expiationibus. Vide Exod. 29. Leuit. 4. & 8. 13. 14. 15. 16. 23. Num. 19. Deut. 15. 2. Paralip. 29. Iob vltimo: vbi semper videbis in expiatione offerri septem animalia, vel septem diebus, vel septies aspergi sanguinem, &c. Vnde etiam Naaman septies iussus est lauare ad purgandam lepram.

*4. Reg. 5.
De ordines
Sacram.
Sess. 7.
607. 3.*

Iam de ordine, & comparatione Sacramentorum nouæ legis inter se agendum. Et quidem Concilium Tridentinum ponit canonem, in quo dicitur
anathema

anathema ijs, qui septem Sacramenta nouæ legis paria faciunt. Notandum autem Sacramenta septem, licet sint eiusdem generis, & proinde omnia verè, & propriè Sacramenta; tamen differre specie, & secundum varias rationes nullum esse, quod alicui alteri non præstet.

Nam baptisus excellit omnibus, quoad effectum remittendi peccata: *Baptismus* nam remittit peccatum originale, quod nullo alio Sacramento remittitur. Item remittit omnia actualia, & omnem pœnam eis debitam, quod non faciunt sacramenta cetera.

Confirmatio excellit omnibus, & ipsi etiam Baptismo quoad effectum gratiæ ad bene operandum. Nam in eo sacramento confertur plenitudo spiritus sancti, & est Confirmatio quædam perfectio, & consummatio Baptismi: præsupponit enim totum effectum Baptismi, & superaddit gratiam copiosorem. Vnde Apostolis dicitur: *Sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto.* Et ante Confirmationis effectum, quam acceperunt in die Pentecostes, licet baptizati essent, timidissimi erant, ita vt omnes in passione fugerent, postea verò accepto spiritu sancto facti sunt robustissimi. *Confirmatio.*

Eucharistia excellit omnibus, quoad ipsam substantiam sacramenti. Nam cetera constant ex re sensibili, & virtute quadam agendi sibi à Deo communicata, per motum: at Eucharistia non solum virtutem quadam operatiuâ, sed ipsum Christum auctorem illius virtutis continet. *Eucharistia.*

Pœnitentia excellit cæteris necessitate solo, Baptismo excepto, cum quo est illi hæc excellentia communis. *Pœnitentia.*

Extrema vñctio aliquo modo excellit Pœnitentiæ, quoad effectum gratiæ, sicut Confirmatio Baptismo. Nam præsupponit totum effectum Pœnitentiæ, & superaddit gratiam copiosorem, quæ non solum posset delere omnia peccata, si adessent, sed etiam tollit reliquias peccatorum. *Extrema vñctio.*

Ordo excellit omnibus, excepta Confirmatione, ratione Ministri: nam solum ab Episcopo conferri potest. Immò etiam videtur excellere in hac re Confirmationi: nam Confirmatio aliquando ex dispensatione confertur à simplici sacerdote. Ordines autem sacri, ac præsertim sacerdotium nunquam, nisi ab Episcopis, conferuntur. Præterea, Ordo præstat quoad aliquid sibi proprium, quia constituit hominem in gradu sublimiore, quàm sint ceteri Christiani. *Ordo.*

Denique, Matrimonium excellit significatione: significat enim Christi vnionem cum Ecclesia. Vnde ab Apostolo magnum sacramentum appellatur. Porrò Eucharistia simpliciter excellit omnibus: nam eius excellentia est in ipsa sacramenti substantia. Et præterea est hoc sacramentum consummatio omnium sacramentorum: vnde etiam post singula conferri solet, quando ea traduntur adultis. *Matrimonium.* *Ephos. 5.*